

stium in urbem induxit. Tribunus plebis patres aucto- 10
res fieri coegit comitiis, quibus plebei magistratus
creabantur. Ob haec merita domus ei apud Tiphatham
et agri iugera quingenta publice data.

5 Appius Claudius Caecus in censura libertinos 34
quoque in senatum legit. Epulandi cantandique ius
tibicinibus in publico ademit. [Duae familiae ad Her- 2
culis sacra sunt destinatae, Potitiorum et Pinariorum.]
Potitios Herculis sacerdotes pretio corrupit, ut sacra
10 Herculea servos publicos edocerent: unde caecatus est,
gens Potitiorum funditus periit. Ne consulatus cum 3
plebeis communicaretur, acerrime restitit. Ne Fabius 4
solus ad bellum mitteretur, contradixit. Sabinos, Sam- 5
nitas, Etruscos bello domuit. Viam usque Brundisium 6
15 lapide stravit, unde illa Appia dicitur. Aquam Anie- 7
nem in urbem induxit. Censuram solus omnium quin- 8
quennio obtinuit. Cum de pace Pyrrhi ageretur et 9
gratia potentum per legatum Cineam pretio quaerere-
tur, senex et caecus lectica in senatum latus turpissi-
20 mas condiciones magna oratione discussit.

Pyrrhus rex Epirotarum, materno genere ab Achille, 35
paterno ab Hercule oriundus, cum imperium orbis
agitaret et Romanos potentes videret, Apollinem de
bello consuluit. Ille ambigue respondit: 2

25 *Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse.*

Hoc dicto in voluntatem tracto auxilio Tarentino- 3
rum bellum Romanis intulit. Laevinum consulem